

dis animæ vulneribus : quare qui pie hac prece uti cupiunt, pro viribus benigne faciant egenitibus; qamtam enim vim habeat ad delendas scelerum maculas, testis est in Tobia (a) Angelus Domini sanctus Raphael, cuius est illa vox: Eleemosyna a morte liberat, et ipsa est qua purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam. Testis est Daniel, (b) Nabuchodonosor regem sic admonebat: Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.

*Optima eleemosyna quæ?*

XLII. Optima autem largitio, et impertienda misericordia ratio, est olluvio injuriarum et bona voluntas erga eos qui rem vel existimationem, vel *corpus tuum* tuorumque violarint.

*Nota.* Quicumque igitur cupit in se esse maxime misericordem Deum, is ipsi Deo suas donet iniunctias, remittat omnem offensionem et pro hostibus libentissime deprecetur, omnem captans occasionem de illis ipsis bene promerendi. Sed quoniam hoc argumentum explicatum est, cum homicidii locum tractavimus, eo rejicimus parochos.

*Non indulgenti homini nihil injustius.*

XLIII. Qui tamen hanc petitionem hoc fine concludant, nihil injustius esse, aut fingi posse quam eum qui cum hominibus durus sit, ut nemini se det ad lenitatem, idem postulet ut in se sit mitis et benignus Deus.

(a) Tob. 12, 9. — (b) Dan. 4, 24.

DE SEXTA PETITIONE.

ET NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM.

*Recens Deo conversi facile relabuntur.*

I. Non dubium est quin filii Dei post impetratam delictorum veniam, cum incensi studio adhibendi Deo cultum et venerationem; cœlestè regnum exoptant, et omnia divino numini tribuentes pietatis officia, toti pendent a paterna ejus voluntate ac providentia; tum eo magis humani generis hostis omnes adversus illos artes excogitet, omnes machinas paret, quibus oppugnentur sic, ut verendum sit ne, labefactata et mutata sententia, rursum in vita delabuntur, longeque deteriores evadant, quam antea fuerint. De quibus illud principis Apostolorum jure dici possit: (a) Melius erat illis non cognoscere viam justitiae, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.

*Cur hæc petitio cæteris sit addita.*

II. Quare nobis a Christo Domino datum est hujus petitionis præceptum, ut quotidie nos Deo commendemus, ejusque patriam curam et præsidium imploremus, minime dubitantes fore ut, si deseratur divino patrocinio, vaserrimi hostis laqueis irretiti teneamur.

*Bis hanc orationem præcepit Christus, et cur?*

III. Neque vero solum in hac orandi regula justitiae a Deo petere, ne patiatur nos induci in temptationem; sed in alia etiam oratione, quam ad

(a) 2 Petr. 2, 21.

sacros Apostolos habuit sub ipsum mortis tempus, cum quidem (a) ipsos mundos esse dixisset, eos hujus officii his verbis admonuit : (b) Orate, ut non intretis in tentationem. Qua iterum, a Christo Domino adhibita admonitio, magnum diligentiae onus imponit parochis excitandi fidelem populum ad frequenter hujus usum precatiōnis; ut, cum tanta hominibus ab hoste diabolo in singulas horas pericula hujus generis intendantur, a Deo, qui solus illa propulsare potest, petant illud assidue : Ne nos inducas in tentationem.

*Necessitas hujus petitionis quanta.*

IV. Intelliget autem fidelis populus quanto peregeat divini hujus adjumenti, si sua imbecillitatis inscitiaeque meminerit; si recordabitur illam Christi Domini sententiam : Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma (c); si ei venerit in mentem, quam graves sint et exitiales hominum casus, impellente dæmonie, nisi sustineantur dexteræ cœlestis auxilio.

*Exempla infirmitatis.* — Quod illustrius esse possit humanæ infirmitatis exemplum, quam sacer ille chorus Apostolorum, qui magno antea animo cum essent, primo quoque objecto terrore, relicto Salvatore, diffugerant? Etsi illustrius etiam est illud principis Apostolorum, qui in tanta professione singularis et fortitudinis et amoris in Christum Dominum, cum paulo ante, sibi bene fidens, ita dixisset : (d) Si oportuerit me mori tecum, non te negabo, statim unius voce mulierculæ perterritus, se Dominum non nosse jurejurando affirmavit.

(a) Joan. 15, 10. — (b) Matth. 26, 41. — (c) Matth. 26, 41. — (d) Matth. 26, 35.

*Nota.* Nimur illi in summa spiritus alacritate non respondent vires.

*Nota iterum.* — Quod si viri sanctissimi humanae naturæ fragilitate, cui confidebant, graviter peccaverunt; quid non timendum est ceteris, qui ab eorum sanctitate absunt longissime?

*Quot temptationum periculis exponantur homines.*

V. Quare proponat fidelis populo parochus prælia ac pericula, in quibus assidue versamur, dum anima est in hoc mortali corpore, quod undique caro, mundus et Satanæ oppugnat.

Quid ira, quid cupiditas in nobis possit, quotusquisque est, qui magno suo malo id non experiri cogatur? Quis non his lacessit stimulus? quis hos non sentit aculeos? quis subjectis non uritur ardentibus facibus? et quidem tam varii sunt ictus, tam diversæ petitiones, ut difficilimum sit gravem aliquam plagam non accipere.

Ac, præter hos inimicos, qui habitant et vivunt nobiscum, sunt præterea illi hostes acerrimi, de quibus scriptum est : (a) Non est nobis collectatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi recto-<sup>rum</sup> tenebrarum harum, contra spiritualia nequitie in celestibus.

*Quam graves dæmonum impetus.*

VI. Accedunt enim ad intimas pugnas externi impetus et impressiones dæmonum, qui et aperte nos petunt, et per cuniculos influunt in animas nostras, vix ut ab illis cavere possimus.

*Dæmones cur principes appellantur.*

VII. Illos et principes appellat Apostolus proper

(a) Eph. 6, 12.

naturæ excellentiam (nam natura hominibus et ceteris quæ sub sensum cadunt, creatis rebus antecellunt) : et potestate vocat, quod non solum naturæ vi, sed potestate etiam superant; et rectores nominat mundi tenebrarum; non enim clarum et illustrem mundum regunt, id est bonos et pios, sed obscurum et caliginosum, nempe eos qui flagitiosæ et facinorosa vita sordibus ac te-nebris obsecant, duce tenebrarum diabolo, delectantur.

*Cur spiritualia nequitia.*

VIII. Nuncupat etiam dæmones spiritualia nequitia: est enim et carnis et spiritus nequitia.

*Carnales nequitia.*

Carnalis que dicitur nequitia, incidunt appetitum ad libidines et voluptates, quæ percipiuntur sensibus.

*Spiritu alia nequitia, quæ?*

Spiritualia nequitia sunt, mala studia et prævaricatio cupiditates, quæ ad superiorēm pertinent animæ partem, quæ tanto peiores sunt quam reliqua, quanto mens ipsa et ratio altior est atque præstantior.

*Nota.* Quæ Satanæ nequitia quia maxime spectat illuc, ut cœlesti nos hæreditate privet, propterea dixit Apostolus: In cœlestibus.

*Quanta dæmonum odia.*

IX. Ex quo licet intelligere magnas esse hostium vires, invictum animum, immane in nos et insitum odium. Bellum etiam perpetuum eos gerere nobiscum, ut nulla pax sit cum illis, nullæ inducias fieri possint. Quantum vero andeant, declarat Satanæ apud Prophetam vox: (a) In cœlum con-

(a) Isa. 14, 15.

scendam: aggressus est primos homines in paradi-so, adortus est prophetas, appetivit Apostolos, ut, quemadmodum loquitur apud Evangelistam Dominus, (a) cribaret eos sicut triticum; ne ipsum quidem Christi Domini os erubuit; itaque ejus inexplibilem cupiditatem et immensam diligentiam sanctus Petrus expressit, cum dixit: (b) Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, querens quem devoret.

*Dæmones multi unum hominem oppugnant.*

X. Quanquam non unus modo tentat homines Satan, sed gregatim interdum dæmones in singulis impetu faciunt: quod ille confessus est dæmon, qui rogatus a Christo Domino, quod sibi nomen esset, respondit: (c) Legio milii nomen est, nempe dæmonum multitudo, quæ miserum illum divexarat; et de alio scriptum est: (d) Assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, et intrantes habitant ibi.

*Dæmones improbis infestis non sunt. Cur?*

XI. Multi sunt qui, quod impulsus atque impetus dæmonum in se minime sentiunt, totam rem falsam esse arbitrantur, quos ipsos a dæmonibus non oppugnari mirum non est, quibus se sponte dediderunt: non est in illis pietas, non charitas, non virtus illa christiano homine digna: quare fit ut toti sint in potestate diaboli: nec ullis tentationibus opus est ad eos evertendos, in quorum jam animis, ipsis libentibus, commoratur.

*Dæmones infestant maxime pios.*

XII. At vero qui se Deo dicaverunt, in terris

(a) Luc. 22, 31. — (b) 1 Petr. 5, 8. — (c) Marc. 5, 9. Luc. 8, 50. — (d) Matth. 12, 45.

cœlestem vitam agentes, ii maxime omnium Satanas incuribus petuntur, hoc acerbissime odit, his in singula temporis momenta struit insidias. Plena est historia divinarum Litterarum sanctorum hominum, quos presenti etiam animo stantes, vel vi, vel fraude pervertit. Adam, David, Salomon, aliique, quos enumerare difficile sit, experti sunt demonum violentos impetus et calidam astutiam, cui resisti non possit consilio aut hominum viribus.

*Nota.* Quis igitur se suo præsidio satis tutum existimet? Itaque pie casteque petendum a Deo est, (a) ne nos tentari sinat supra id quod possumus, sed faciat etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere.

*Qui dæmones timent, unde firmandi?*

XIII. Verum hic fideles confirmandi sunt, si qui animi imbecillitate aut rei ignorantie dæmonum vim perhorrescant, ut ipsi tentationum fluctibus agitati, in hunc precatio[n]is portum confluant.

*Dæmonum vires gubernat Deus.*

XIV. Non enim Satanas in tanta et potentia et pertinacia, in capitali odio nostri generis, nec quantum, nec quandiu vult, tentare nos aut vexare potest; sed omnis ejus potestas Dei nutu et permittus gubernatur.

Notissimum est exemplum Job, de quo nisi diabolus dixisset Deus: Ecce universa qua habet, in manu tua sunt, nihil ejus Satanas attigisset: contra vero nisi addidisset Dominus: Tantum in eum ne extendas manum tuam, uno diaboli ictu cum filiis ipse facultatibusque concidisset.

(a) 1 Cor. 10, 13.

*Nota.* Ita autem alligata est dæmonum vis, (a) ut ne in porcos quidem illos, de quibus scribunt Evangelistæ, non permittente Deo, invadere potuissent.

*Verba petitionis explicantur.*

XV. Sed ad intelligendam hujus petitionis vim, dicendum est quid hic tentatio significet; quid item induci in tentationem.

*Tentare quid sit primo.*

XVI. Est autem tentare, periculum facere de eo qui tentatur, ut ab ipso quod cupimus elicientes, verum exprimamus; quid tentandi modus in Deum minime cadit; quid enim est quod nesciat Deus? (b) Omnia enim, inquit, nuda et aperta sunt oculis ejus.

*Quid secundo.*

Est alterum tentandi genus, cum, longius progredivendo, aliud queri solet in bonam vel in malam partem.

*In bonam partem tentare quid.*

XVII. In bonam, cum ea re tentatur alicuius virtus, ut illa perspecta et cognita, is commodis et honoribus augeatur, ejusque exemplum ceteris imitandum proponatur, ac denique omnes ob idipsum ad Dei laudes excitentur. Quæ tentandi ratio sola convenit in Deum; hujus exemplum tentationis est illud in Deuteronomio: (c) Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum an non.

*Nota.* Quo modo etiam tentare dicitur suos Deus, cum inopia, morbo et aliis calamitatum

(a) Matth. 8, 31. Marc. 5, 12. Luc. 8, 52. — (b) Heb. 4, 15. — (c) Deut. 13, 3.

## 692 CATECHISMUS CONCILII TRIDENTINI.

generibus premit, quod probandae eorum patientiae causa facit, et ut alii documentum sint christiani officii.

*Exemplum.* — In hanc partem legimus Abraham esse tentatum, (a) ut filium immolare; quo facto, fuit is obedientiae et patientiae exemplum singulare, ad memoriam hominum sempiternam.

*Aliud.* — In eamdem sententiam dictum est de Tobia : (b) Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.

*In malam partem tentare quid?*

XVIII. In malam partem tentantur homines, cum ad peccatum aut exitium impelluntur; quod proprium diaboli officium est: is enim eo animo tentat homines, ut decipiat agatque præcipites, quamobrem (c) tentator in divinis litteris appellatur.

*Quam varie dæmones tentant*

XIX. In iis vero temptationibus modo intimos nobis admovens stimulus, animæ affectiones et commotiones adhibet administras, modo nos exigitans extrinsecus, externis rebus uititur, vel prosperis, ad efferendos vel ad frangendos adversarii; nonnunquam habet emissarios et excusores perditos homines, in primis haereticos, qui sedentes in cathedra pestilentia, malarum doctrinarum mortifera semina dispergunt, ut illos, qui nullum delectum aut discrimen habent virtutis et vitiiorum, homines per se proclives ad malum nutantes ac præcipitantes impellant.

*Induci in temptationem quid.*

XX. Dicimus autem induci in temptationem, cum

(a) Gen. 22, 1 et seq. — (b) Tob. 12, 15. — (c) Matth. 4, 5.

temptationibus succumbimus. Inducimur vero in temptationem duplicerit.

*Primo.* — Primum, cum de statu dimoti, in id ruimus malum, in quod tentando nos aliquis impulerit. At nemo quidem a Deo hoc modo in temptationem inducit; quia nemini est peccati auctor Deus, imo (a) odit omnes qui operantur iniquitatem. Sic vero etiam est apud sanctum Jacobum : (b) Nemo, cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est.

*Secundo.* — Deinde dicitur nos in temptationem inducere is, qui etsi non tentat ipse, neque operam dat quo tentemur, tentare tamen dicitur, quia cum possit prohibere ne id accidat, aut ne temptationibus superemur, non impedit.

*Nota.* Hoc modo Deus bonos et pios tentari quidem sinit, verumtamen sua gratia sustentatos non deserit.

*Nota præterea.* Nec vero non interdum justo et occulto Dei iudicio, nostris id sceleribus postulantibus, nobis ipsi relieti, concidimus.

*Tertio.* — Præterea nos in temptationem Deus inducere dicitur, cum ejus beneficiis, que nobis ad salutem dedit, abutimur ad perniciem, et Patris substantiam, (c) ut prodigus ille filius, dissipamus vivendo luxuriose, nostris cupiditatibus obsequentes. Quamobrem id dicet: possumus, quod de lege dixit apostolus: (d) Inventum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.

*Exemplum.* — Opportunum rei exemplum est Hierosolyma, teste Ezechiele, quam Deus omni ornamentorum genere locupletarat, ut ejus ore prophetæ diceret Deus: (e) Perfecta eras in de-

(a) Psalm. 5, 5. — (b) Jac. 1, 15. — (c) Luc. 15, 12. — (d) Rom. 7, 10. — (e) Ezech. 16, 14.

core meo, quem posueram super te; et tamen illa civitas divinis cumulata bonis, tantum abest ut optime de se merito, ac merenti Deo gratiam habens, celestibus beneficiis ad beatitudinem consequandam, cuius gratia ea acceperat, uteretur; ut, ingratissima in parentem Deum, abjecta spe, cogitatione coelestium fructuum, tantum praesenti abundantia luxuriose ac perdite frueretur; quod Ezechiel codem capite pluribus verbis persecutus est.

*Nota.* Quare sunt eodem loco ingrati in Deum homines, qui præbitam sibi ab eo divinitus ubere rem materiam recte factorum, ad vitia, illo permittente, convertuntur.

*Mos loquendi Scripturæ explicandus.*

XXI. Sed oportet hunc divinæ Scripturæ modum diligenter attendere, quæ Dei permissionem his interdum verbis significat, quæ proprie si accipiuntur, tanquam actionem in Deo significant; nam in Exodo sic est: (a) Indurabo cor Pharaonis; et apud Isaiam: (b) Exæcta cor populi hujus; et ad Romanos scribit Apostolus: (c) Tradidit illos Deus in passiones ignominiae et in reprobum sensum. Quibus in locis, alliisque similibus, non id omnino esse actum a Deo, sed permissum intelligendum est. *Vide Iren. lib. 4 contra hæret. c. 48. Tertull. lib. 2 contra Marc. 14. Augustin. lib. de Prædestin. et Gratia, c. 3. et de Prædestin. sanct. c. 9. et Lib. arbit. c. 21, 22, 25. D. Thom. 2 part. quæst. 87. art. 2. et 2, 2, q. 15.*

*Nota.* His positis, non erit difficile scire quid in hac precatiōnis parte postulemus. Nec vero petimus ne omnino tentemur. Est enim hominum vita tentatio super terram.

(a) Ex. 4, 21. — (b) Isa. 6, 10. — (c) Rom. 1, 26.

*Utilis est tentatio.*

XXII. Est autem ea res utilis et fructuosa hominum generi: nam in temptationibus nos ipsos, id est vires nostras cognoscimus, quamobrem etiam humiliamur sub potenti manu Dei, viriliterque decertantes, expectamus immarcessibilem coronam gloriae: (a) Nam et qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit; et, ut inquit sanctus Jacobus: (b) Beatus vir qui suffert temptationem; quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vita quam reprobavit Deus diligentibus se. Quod si urgemur nonnunquam hostium temptationibus, magnæ nobis erit levitationis illa cogitatio, (c) habere nos adjutorem pontificem, qui possit compati infirmatibus nostris, tentatum ipsum per omnia.

*Quid hic postuletur.*

XXIII. *Primo.* — Quid hic igitur petimus? no divino presidio deserti, temptationibus vel decepti assentiamur, vel cedamus afflicti, ut praesto sit nobis Dei gratia, quæ, cum defecerint nos proprie vires, in malis recreet ac reficiat.

*Secondo.* — Quare et generatione Dei opem implorare debemus in omnibus temptationibus, et nominatum, cum singulis affligimur, ad precatiōnem confluere oportet; quod a Davide factum legimus pene in unoquoque temptationum generi; nam in mendacio sic precabatur: (d) Ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque; in avaritia ad hunc modum: (c) Inclina cor meum in testimonia tua et non in avaritiam. In rebus vero inanibus hujus vitæ, et illecebris cupiditatum, hac

(a) 2 Tim. 2, 5. — (b) Jac. 1, 12. — (c) Heb. 4, 15. —  
(d) Ps. 118, 43. — (e) Ps. 118, 56.

prece utebatur : (a) Averte oculos meos, ne videant vanitatem.

*Tertio.* — Ergo postulamus, ne morem geramus cupiditatibus, neve defatigemur in tentationibus sustinendis, ne declinemus de via Domini; ut tam in rebus incommodis, quam in prosperis æquitem animi constantiamque servemus, et nullam nostri partem Deus sua tutela vacuam relinquat.

*Quarto.* — Petimus denique ut Satanam conterrat sub pedibus nostris.

*Meditanda cum hac petimus.*

**XIV.** Reliquum est ut fidelem populum ad ea parochus cohortetur, quæ in hac preicatione maxime cogitare et meditari oporteat.

*Primo.* — In qua erit illa optima ratio, si quanta sit hominum infirmitas, intelligentes, viribus nostris diffidamus, et omni spe nostra in columbatis, in Dei benignitate collocata, eo freti patrocinio, vel in maximis periculis magnum animum habuerimus, præsertim cogitantes quam multos hac spe, atque hoc animo præditos ex hiantibus Satanae fauibus liberarit Deus.

*Exempla.* — Annon Joseph (b) undique circum datum ardentibus insante mulieris facibus, e summo eruptum periculo, ad gloriam extulit?

Annon Susannam (c) a Satanae ministris obsessam, tum, cum nihil proprius esset quam ut nefaris sententiis interficeretur, servavit incolument? neque mirum; erat enim, inquit, cor ejus fiduciam habens in Domino.

Insignis est laus et gloria Job, qui de mundo, de carne, de Satana triumphavit. Plurima sunt hujus generis exempla, quibus parochus diligenter

ter pium populum ad eam spem fiduciamque cohortari debebit.

*Secundo.* — Cogitent etiam fideles quem in hostium tentationibus ducem habeant, nempe Christum Dominum qui victoriam ex illo certamine retulit.

Vicit ipse diabolus : (a) est is ille fortior, qui superveniens fortem superavit armatum, quem et armis nudavit et spoliis. De hujus Victoria, quam de mundo reportavit, est apud sanctum Joannem: (b) Confidite, ego vici mundum; et in Apocalypsi dicitur (c) ipse leo vincens, et exisse vincens ut vinceret: quia in Victoria suis etiam cultoribus facultatem vicendi dedit.

*Tertio.* — Est Apostoli ad Hebraeos epistola plena Victoriae sanctorum hominum, qui per fidem devicerunt regna, obturaverunt ora leonum, et quæ sequuntur (d).

*Quarto.* — Ex his vero, quæ sic acta legimus, eas Victoriae cogitatione complectamur, quas quotidie reportant ex intimis et externis dæmonum præliis homines fide, spe et charitate prestantes quæ tam multa sunt, tamque insignes, ut si sub aspectum caderent oculorum, nihil frequentius accidere judicaremus, nihil gloriosius, de quorum hostium clade his verbis scripsit sanctus Joannes: (e) Scribo vobis, juvenes, quoniam fortes estis, et verbum Dei manet in vobis, et viciolis malignis.

*Quomodo vincitur diabolus.*

**XXV.** Vincitur autem Satanas non otio, somno, vino, commestatione, libidine, sed oratione, labore, vigilia, abstinentia, continentia, castitate: (f) Vi-

(a) Luc. 11, 22. — (b) Joan. 16, 35. — (c) Apoc. 5, 5. —  
(d) Heb. 11. — (e) 1 Joan. 2, 14. — (f) Matth. 26, 41.

(a) Isa. 118, 31. — (b) Gen. 59, 7. — (c) Dan. 13, 61.

gilate et orate, inquit, ut jam diximus, ut non intretis in tentationem. Qui iis armis ad illam pugnam utuntur, in fugam convertant adversarios: (a) Qui enim resistunt diabolo, is fugiet ab eis.

*Humiliter de se sentendum.*

XXVI. In his tamen sanctorum hominum victoriis, quas diximus, nemo sibi placeat, nemo se effter insolentius, ut se suis viribus hostiles demonum tentationes impetusque sustinere posse confidat: non est hoc naturæ nostræ, non humanae imbecillitatis.

*Sine Dei auxilio nihil possumus.*

XXVII. Haec vires, quibus prosternimus Satane satellites, dantur a Deo, qui ponit ut arcum æreum brachia nostra: cuius beneficio (b) arcus fortium superatus est: et infirmi accincti sunt robore; qui dat nobis protectionem salutis; cuius nos dextera suscipit; (c) qui docet manus nostras ad prælium, et digitos nostros ad bellum, ut uni Deo, pro victoria sint agendae et habendæ gratiae, quo uno et auctore et adjutore vincere possumus, quod fecit Apostolus; inquit enim: (d) Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Eundem autemem victorie predicat coelestis illa vox in Apocalypsi: (e) Facta est salus, et *virtus* et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus; quia projectus est accusator fratum nostrorum, et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni. Testatur idem liber, Christi Domini partam ex mundo carneique victoriis eo loco: (f) Hi cum Agno pugnabunt, et

(a) Jac. 4, 7. — (b) 1 Reg. 2, 4. — (c) Ps. 17, 35. —  
(d) 1 Cor. 15, 37. — (e) Apoc. 12, 10. — (f) Apoc. 17, 14.

Agnus vincet illos. Hæc de causa et de modo vincendi.

*Præmia pugnantibus proposita.*

XXVIII. Quibus expositis, proponent fidelii populo parochi a Deo preparatas coronas, et constitutam victoribus semperternam præmiorum amplitudinem, quorum ex eadem Apocalypsi divina proferunt testimonia: (a) Qui vicerit, non lœdetur a morte secunda; et alio loco: (b) Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vita; et confitebat nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus. Et paulo post, Deus ipse ac Dominus noster ita loquitur ad Joannem: (c) Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius. Tum inquit: (d) Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. Denique cum sanctorum gloriam et perpetuam illam bonorum vim quibus in cœlo fruentur, exposuit, adjunxit: qui vicerit, possidebit hæc.

*DE SEPTIMA PETITIONE.*

*SED LIBERA NOS A MALO.*

*Hæc petitio cæteras omnes comprehendit.*

I. Postrema hæc petitio est instar omnium, qua Dei Filius divinam hanc orationem conclusit cuius etiam vix et pondus ostendens ei usus est orandi clausula, cum e vita migraturus, Deum Patrem pro hominum salute deprecaretur: (e) Rogo enim, inquit, ut serves eos a malo. Ergo hac precationis formula, quam et præcepto tradidit, et exemplo confirmavit, quasi quadam epi-

(a) Apoc. 2, 11. — (b) Ibid. 5, 5. — (c) Ibid. 5, 12. —  
(d) Ibid. 5, 21. — (e) Joan. 17, 15.

tome summatim complexus est viii et rationem ceterarum petitionum. Cum enim id quod ea prece continetur, impetraverimus nihil, auctore sancto Cypriano, (a) remanet, quod ultra adhuc debeat postulari; cum semel protectionem Dei aduersus malum petamus: qua impetrata contra omnia, qua diabolus et mundus operantur, securi stamus et tui. Quare, cum tanti sit hæc petitio, quanti diximus, debebit parochus in ea fidelibus explicanda summam adhibere diligentiam.

*Hujus et sextæ petitionis differentia.*

II. Differt autem hæc et proxima petitio, quod illa, vitationem culpa, hac, pœnæ liberationem postulamus.

*Cur hæc oratio sxe sit iteranda.*

III. Quare non jam monendus est fidelis populus, quantopere et labore ex incommodis ac calamitatibus, et celestis egeat adjumentum. Nam quot et quantis miseriis proposita sit hominum vita, præterquam quod et sacri et profani scriptores hoc argumentum sunt copiosissime persecuti, nemo fere est, qui intelligat et suo et alieno periculo; persuasum enim est omnibus, quod exemplum patientiae Job memoria prodidit: (b) Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. Nec vero ullum præterire diem, qui propria aliqua molestia, aut incommodo notari non possit, testis est illa Christi Domini vox: (c) Sufficit diei maliitia sua. Etsi conditionem humanæ vitæ declarat

(a) Lib. de Orat. citato.—(b) Job. 14, 1. — (c) Matth. 6, 35.

ipsius Domini monitum illud, (a) quo crucem quotidie sumi, seque docuit sequi oportere.

*In incommodis facile precamur.*

IV. Ut igitur quisque sentit quam laboriosa sit et periculosa hæc vivendi ratio; ita facile persuadebitur fidi populo malorum liberationem a Deo implorandam esse, presertim cum nulla re magis ad orandum adducantur homines, quam cupiditate et spe liberationis eorum incommodorum, quibus presumuntur, aut quæ impendunt.

*Nota.* Est enim hæc insita ratio in animis hominum, ut in malis statim ad Dei auxilium confugiant. Qua de re est illum scriptum: (b) Imples facies eorum ignominia, et querent nomen tuum, Domine.

*Modus orandi docendus a parochis.*

V. Sed si illud fere sua sponte faciunt homines, ut in periculis et calamitatibus invocent Deum, certe, quomodo id recte facere possint, ab iis quorum fidei ac prudentia commissa est eorum salus, maxime docendi sunt.

*Malus orandi modus corrigendus.*

VI. Non enim desunt qui contra Christi Domini jussum prepostero utantur ordine precationis, nam qui jussit nos (c) ad se confugere in die tribulationis, idem orationis ordinem nobis prescrispsit: voluit enim ut priusquam precaremur ut nos liberaret a malo, peteremus uti nomen Dei sanctificaretur, et adveniret regnum ejus, et reliqua postularemus, quibus quasi gradibus quibusdam in hunc locum pervenitur; sed quidam, si caput, si latus, si pes condoluit, si rei familiaris iacturam faciunt, si minæ, si pericula ab ini-

(a) Luc. 9, 23. — (b) Ps. 82, 17. — (c) Ps. 49, 15.

micias intenduntur, in fame, in bello, in pestilencia, omissis mediis dominicae precationis gravibus tantum petunt ut ex illis eripiantur malis; at huic consuetudini repugnat Christi Domini iussus: (a) Quærite primum regnum Dei.

*Bonus orandi modus.*

VII. Itaque qui recte preces faciunt, cum deprecantur calamitates, incommoda, malorum dolusionem, id referunt ad Dei gloriam. Sic David illi prectioni: Domine, ne in furore tuo arguas me, subjecit rationem qua se Dei gloriae cupidissimum ostendit; inquit enim: (b) Quia non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? Et idem, cum oraret Beum sibi ut misericordiam impertiret, subjugit illum: (c) Doebo iniquos vias tuas, et impi ad te convertentur.

*Infidelium preces malæ.*

VIII. Ad hanc orandi salutarem rationem, et ad exemplum Prophetæ incitandi sunt fideles auditores, et simul docendi, quantum intersit inter infidelium et christianorum hominum preces. Petunt vehementer illi etiam a Deo, ut possint ex morbis vulneribusque convalescere; sibi ut ex urgentibus vel imminentibus malis evadere licet: sed tamen illius præcipuum spem liberationis ponunt in remedii natura vel hominum industria comparatis; quin etiam sibi datum a quovis medicamentum, etiam si cautionibus, si beneficiis, si dæmonum opera confectum sit, sineulla religione adhibent, modo aliqua valetudinis spes ostendatur.

(a) Matth. 6, 33. — (b) Ps. 6, 6. — (c) Ibid. 54, 18.

*Christianorum preces.*

IX. Longe alia est ratio christianorum, quin in morbis et in omnibus adversis rebus habent summum perfugium et praesidium salutis Deum, unum illum omnis auctorem boni, et liberatorem suum agnoscunt ac venerantur; remedii vero quæ inest ad sanandum vis, insitam a Deo esse pro certo habent; tantumque illa ægrotis prodesse existimat, quantum ipse voluerit Deus. Est enim a Deo data hominum generi medicina, qua morbos sanaret. Hinc est illa Ecclesiastici vox: (a) Altissimus creavit de terra medicinam, et vir prudens non abhorret illam.

*Nota.* Itaque qui Iesu Christo nomen dederunt, non in illis remedii summanam spem reponunt recuperande valetudinis, sed ipsi medicinæ auctori Deo maxime confidunt.

*Remedii prohibitis non utendum.*

X. Quare etiam in divinis Litteris reprehendunt ii, qui (b) medicina fiducia nullum Dei auxilium requirunt: imo vero, qui vitam agunt ex divinis legibus, abstinent omnibus remedii, quecumque ad curationem a Deo non adhibita esse constet; quod si etiam eorum usu medicamentorum illis sit explorata spes sanitatis, tamen ab iis, ut cautionibus et dæmonum artificiis, adhorret.

*In morbis soli Deo fidendum.*

XI. Ad id autem fideles cohortari oportet, ut Deo confidant; ea enim re jussit nos beneficissimum parens liberationem malorum postulare, ut in eo ipso quod jussit, spem etiam impetrations haberemus. Multa sunt in sacris Litteris

(a) Eccli. 38, 4. — (b) Paral. 16, 12.

hujus rei exempla, ut qui minus rationibus adducuntur ad bene sperandum, exemplorum multitudine confidere cogantur. Abraham, Jacob, Loth, Joseph, David sunt in oculis locupletissimi testes divinae benignitatis, sacra Novi Testamenti litteræ tam multos enumerant, qui ex maximis discriminibus erupti sunt pie pondere precatiōnis, ut res exemplorum commemoratione non egeat.

*Nota.* Una igitur illa propheta sententia contenti erimus, quæ vel infirmissimum quemque confirmare potest: (a) Clamaverunt enim, inquit, justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

*A malis quibusdam liberari non expedit.*

XII. Sequitur hujus vis et ratio petitionis, ut fideles intelligent non omnino petere nos hoc loco ut a malis omnibus liberemur: sunt enim quædam, quæ communiter mala putantur, quæ tamen sunt illis fructuosa qui patiuntur; ut (b) ille stimulus qui Apostolo erat adhibitus, ut, Dei gratia adjuvante, virtus in infirmitate perficeretur.

*Nota.* Hæc si cognita sit, eorum vis summa voluptate pios afficiunt: tantum abest ut a Deo petant ut auferantur.

*A quibus malis liberari hic petimus.*

XIII. Quare tantum ea mala deprecamur, quæ nullam animæ utilitatem afferre possunt; reliqua minime, modo aliquis inde salutaris fructus existat.

Omnino igitur huic voci ea subjecta vis est, ut a peccato liberati a tentationis etiam periculo, ab

(a) Ps. 53, 18. — (b) 2 Cor. 12, 7.

intimis externisque malis eripiamur, ut tuti simus ab aqua, ab igne, a fulgere; ne grando noceat frugibus, ne annonæ caritate, seditionibus, bello laboremus.

Petimus a Deo, ut morbos, pestem, vastitatem arceat; vincula, carcere, exsilium, pröditiones, insidias, ceteraque omnia prohibeat incommoda, quibus maxime terri ac premi solet hominum vita, omnes denique flagitorum et facinorum causas avertat.

Neque hec solum quæ omnium consensione mala sunt deprecamur; sed illa etiam, quæ pene omnes bona consistuntur, dvitias, honores, valitudinem, robur, hanc ipsam vitam; petimus, inquam, ne ad malum et ad animæ nostræ exitium hæc convertantur.

Oramus etiam Deum, ne morte opprimamur repentina: ne in nos iram Dei co- citemus; ne, quæ impios manent, supplicia subeamus; ne igne purgatorii torqueamur: a quo ut alii liberentur, pie et sancte precamur.

*Nota.* Hanc petitionem et in Missa, et in Litaniis sic interpretatur Ecclesia, nos videlicet ea preterita, presentia, futura mala deprecari.

*Deus nos a malis liberat variis modis.*

XIV. Non uno autem modo Dei nos benignitas eripit a malis: nam impendentes prohibet calamitates; quomodo legimus magnum illum Jacob esse (a) liberatum ab inimicis, quos in illum concitat Sichimitarum cedes: extat enim illud: Terror Dei invasit omnes per circuitum civitates, et non sunt ausi persequi recedentes.

*Nota.* Et quidem beati omnes, qui cum Christo

(a) Gen. 33, 5.

Domino in cœlis regnant, omnibus malis Dei ope liberati sunt.

Nos autem, qui in hac peregrinatione versamur, ab omnibus incommodis solutos esse minime vult, sed eripit a quibusdam.

*Solatia quæ dat Deus.*

XV. Et si sunt instar liberationis malorum omnium ea solatia, quæ dat interdum Deus iis qui rebus premuntur adversis. His se consolabatur propheta, cum illa dicebat: (a) Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lœtificaverunt animam meam. Præterea a malis homines liberat Deus, cum illos in summum discri men adductos integros servat et incolumes; quod et (b) pueris illis in ardente fornacem conjectis, et Danieli contigisse legimus, (c) quem pœnates nihil læserunt, quemadmodum neque pueros (d) flamma violavit.

*Malus hic dicitur dæmon, cur?*

XVI. Malus vero etiam ex sententia sanctorum Basili magni, Chrysostomi et Augustini precipue dicitur dæmon, quod hominum culpa, id est, sceleris et peccati auctor fuit: quo etiam ministerio altitur Deus in repetendis penitias a sceleratis et facinorosis; dat enim Deus omne malum hominibus, quod illi peccati causa patiuntur, in quam sententiam loquuntur divina littera illis verbis: (e) Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit? Item: (f) Ego Dominus, et non est alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum.

*Altera ratio. — Malus quoque dicitur dæmon*

(a) Ps. 95, 18. — (b) Dan. 3, 49. — (c) Ibid. 6, 22. — (d) Ibid. 5, 50. — (e) Amos. 5, 6. — (f) Isa. 45, 6, 7.

ob eam causam, quod etsi nihil eum læserimus, tamen perpetuum bellum nobis infert et capitali nos insectatur odio.

*Nota.* Quod si nobis et fide armatis et innocentia tectis nocere non potest, tamen nullum finem facit tentandi nos externis malis, et quamcumque potest ratione divexandi: quamobrem Deum precamur ut nos a malo liberare velit. *Chrysostom. hom. 20 in Matth. et hom. 5 in Job. August. in Ecclesiast. Dogmat. c. 57. Basil. in hom. Quod Deus non sit auctor malorum, non procul a fine.*

*Cur a malo et non a malis liberari precamur.*

XVII. Dicimus autem a malo non a malis, ob id, quod mala quæ in nos a proximis profiscuntur, illi assignamus tanquam auctori et impulsori, quominus etiam proximis irasci debemus: quin odium et iracundiam in ipsum Satanam convertere oportet, a quo homines ad inferendam injuriam impelluntur.

*Nota.* Itaque si te aliqua re læserit proximus, cum preces facis parenti Deo, pete ut non modo te libertet a malo, id est ab iis, quas tibi proximus imponit, injuriis; sed illum ipsum eripiat proximum ex diaboli manu cuius impulsu homines in fraudem inducuntur.

*Cur hic non exaudimur quid agendum.*

XVIII. Illud denique sciendum est, si in precibus et votis non liberarum a malis, debere nos quæ premant, ferre patienter, intelligentes placere divino numini, ut toleranter ea patiamur. Quare minime nos indignari, aut dolere par est, quod preces nostras non audiat Deus, sed omnia ad ejus nutrum ac voluntatem referre oportet, existimantes id utile, id esse salutare, quod Deo placet

ut ita sit, non autem id quod secus nobis videatur.

*Patienter hic sunt ferenda incommoda.*

XIX. Postremo docendi sunt pii auditores, dum in hoc vite curriculo versantur, eos ad omne incommodorum et calamitatum genus non solum æquo, sed etiam gaudenti animo ferendum paratos esse debere: (a) Omnes enim, inquit, qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Item: (b) Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Rursum: (c) Nonne hæc oportuit pati Christum: et ita intrare in gloriam suam? Non enim æquum est servum majorem esse domino suo: sicuti turpe est, e sententiæ sancti Bernardi, membra esse delicata, sub spinoso capite. *Sermon. 5, De omnibus sanctis.*

*Exemplum.* — Praeclarum illud est exemplum Uriæ propositum ad imitandum, qui, adhortante Davide domi ut se contineret, inquit: (d) Arca Dei et Israel et Juda habitant in papilionibus; et ego ingrediar domum meam!

*Alia exempla.* — His instructi rationibus ac meditationibus, si ad orandum veniamus, illud assequemur, ut si minus undique cincti malisque circumdati: quemadmodum tres illi pueri intacti ab igne, sic nos inviolati seruemur: certe ut Machabæi, casus adversos constanter ac fortiter feramus.

In contumelias et cruciatibus sacros imitabimur Apostolos, (e) qui cæsi verberibus, vehementer latabantur, quod digni habiti essent qui pro Christo Iesu contumelias paterentur: sic nos ita comparati conemus illa summa animi voluptate:

(a) 2 Tim. 3, 12. — (b) Act. 14, 21. — (c) Luc. 24, 20. —

(d) 2 Reg. 11, 11. — (e) Act. 5, 41.

(a) Principes persecuti sunt me gratis, et a verbis tuis formidavit cor meum: lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inventi spolia multa.

*ORATIONIS DOMINICÆ SIGNACULUM.*

AMEN.

*Recte sunt finiendæ preces.*

I. Hanc voem, sicuti est, signaculum orationis dominice appellat sanctus Hieronymus in Comentario in Matthæum, vi, 6.

Quare, ut admonuimus antea fideles de præparatione quæ adhibilis sit priusquam aggrediantur ad divinam precationem, sic nunc faciemus duximus, ut clausulae ac finis ipsius precationis causam rationemque cognoscant.

*Nota.* Non enim pluris est divinas preces diligenter ordiri, quam religiose absolvere.

*Fructus hujus particulæ.*

II. Sciat igitur fidelis populus multos esse, et eos uberes fructus, quos ex dominica orationis fine percipimus: sed omnium uberrimus ac latissimus fructus est eorum impetratio, quæ postulavimus, de quo supra dictum est. Non solum autem consequimur postrema hac parte precationis, ut nostræ preces audiantur, sed quædam etiam majora ac præclariora, quam ut verbis explicari possint.

*Orationis bona.*

III. Nam cum orando homines cum Deo colloquantur, ut sanctus Cyprianus ait, fit quodam inexplicabili modo oranti divina majestas propior, quam cæteris, quem præterea singularibus

(a) Ps. 118, 161.

ornat muneribus, ut qui pie Deum orant, quodam modo cum iis qui ad ignem accedunt, comparari possint; qui si algent, calescent; si calent, aestuant: sic illi assistentes ad Deum pro modo pietatis ac fidei ardentiores evadunt. Inflammatur enim eorum animus ad Dei gloriam, mens illustratur admirabilem in modum, omnino cumulantur divinis muneribus: est enim illud proditum sanctis Litteris: (a) Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.

*Exemplum.* — Exemplo est omnibus magnus ille Moyses, (b) qui a Dei congressu et colloquio disgregens divino quodam fulgore collucebat sic, ut Israelitæ ejus oculos et os intueri non possent.

*Nota.* Omnino qui vehementer illo studio preces faciunt, Dei benignitate ac majestate admirabiliter perfruuntur: (c) Mane astabo, inquit Prophetæ, et videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es; hæc quo magis noscunt homines eo Deum vehementiori cultu ac pietate venerantur; eo etiam sentiunt jucundius quam suavis sit Dominus, et quam vere beati sint omnes qui sperant in eo.

#### Effectus orationis singularis.

IV. Tunc vero clarissima illi luce circumfusi, quanta sit eorum humilitas, quanta sit bei mæstas, considerant; est enim illa sancti Augustini regula: Noverim te, noverim me. Itaque fit ut suis viribus dissidentes, totos se committant Dei benignitatí, minime dubitantes, quin ipsos paterna illa sua et admirabili charitate complexus, abundanter iis omnia suppeditet, que sint ad vitam et salutem necessaria; hinc se ad agendas

(a) Ps. 20, 4. — (b) Exod. 34, 35. 2 Cor. 5, 15. —  
(c) Ps. 5, 5.

Deo gratias convertant quantas animo maximas capere possunt, quantas oratione complecti; quod magnum Davidem fecisse legimus, qui cum ita precatiōnē instituisset: Salvum me fac ex omnibus persequentiōibus me; sic eam absolvit: (a) Confitebor Domino secundum justitiam ejus, et psallam nomini Domini altissimi.

#### Orationes sanctorum quales.

V. Sunt ejusmodi sanctorum preces innumerabiles, quarum exordium est timoris plenum clausula spei bona letitiaeque referta; sed mirabile est quam eo in genere eniteant Davidis ipsius precatiōnes; nam cum metu perturbatus sic orare esset exorsus: (b) Multi insurgunt adversum me, multi dicunt anime meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus: confirmatus aliquando gaudioque perfusus, subjunxit paulo post: (c) Non timebo millia populi circumdantis me; alio etiam psalmo, suam cum deplorasset miseriām, ad extremum Deo confitus incredibiliter letatūr spe semperna beatitudinis: (d) In pace, in idipsum inquit, dormiam et requiescam.

Quid illa? Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: quanto cum tremore et pallore prophetam dixisse credendum est!

Contra, quæ deinceps sequuntur, quam fidenti ac letanti animo: Discede a me, inquit, omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fetus mei. Cum vero Saulis iram furoremque pertimesceret, quam humiliter ac demisse Dei opem implorabat: (c) Deus, in no-

(a) Ps. 7, 18. — (b) Psal. 5, 25. — (c) Ps. 5, 7, 7.  
(d) Ps. 4, 9. — (e) Ps. 55, 5.

mine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me; et tamen hilare ac fidenter in eodem psalmo subiecit: Ecce enim Deus adjuvat me: et Dominus susceptor est animæ meæ.

*Ad orationem accedendum.*

VI. Quare qui se confert ad sacras preces fide speque munitus, parentem adeat Deum, ut se id consequi posse, quod ei opus sit, nullo modo diffidat.

*Vocis Amen dignitas.*

VII. Sunt autem in extremo hoc divinæ preceptionis verbo, *Amen*, multa quasi semina quadam earum rationum cogitationumque, quas diximus.

*Quid proprie significet.*

VIII. Et quidem adeo frequens fuit haec Hebreæ vox in ore Salvatoris, ut Spiritui sancto placuerit ut in Ecclesia Dei retineretur.

*Usus hujus vocis in Missa.*

IX. Cui voci illa quodam modo subjecta sententia est: Scito tuas auditas esse preces; habet enim vim respondentis, et illum, qui precibus quod velit, impetrarit cum bona gratia dimittens Dei.

Hanc sententiam perpetua Ecclesia Dei consuetudo comprobavit, quæ in sacrificio Missæ cum pronuntiatur oratio dominica, non rei sacræ ministris, quorum partes sunt illa dicere: *Sed libera nos a malo*, attribuit hanc vocem, *Amen*: sed ipsi sacerdoti accommodata reservavit: qui cum Dei et hominum sit interpres, Deum exoratum esse populo respondet.

Nota. Nec tamen hic ritus communis est omnium preceptionum: quippe cum in ceteris mi-

nistorum sit munus respondendi, *Amen*, sed proprius dominica orationis; nam in aliis precibus consensus modo desideriumque significat: in hac responsio est, Deum orantis postulationi consensisse.

*Amen varie interpretatum.*

X. Ac varie quidem a multis est interpretatum hoc verbum, *Amen*: Septuaginta interpres verterunt, *flat*; alii reddiderunt, *vere*; Aquila, *fideliter*, convertit. Sed parvi refert hoc an illo modo sit redditum, modo habere intelligamus eam vim, quam diximus, confirmantis sacerdotis consensus id esse quod petebatur, cuius sententia testis est Apostolus, in epistola ad Corinthios: (a) Quotquot enim, inquit, promissiones Dei sunt, in illo est, ideo et per ipsum *Amen* Deo ad gloriam nostram.

*Amen attentionem excitat.*

XI. Est etiam haec nobis accommodata vox, in qua inest confirmatio quædam earum petitiorum, quas adhuc adhibuimus; quæ etiam eos reddit attento qui dant operam sacris precibus: fit enim sæpe ut in preceptione distracti homines variis cogitationibus, alio traducantur.

*Est totus orationis repetitio.*

XII. Imo vero summo studio petimus hac ipsa voce, ut omnia fiant, id est, concedantur, quæ antea petivimus: vel potius intelligentes nos jam impetrasse omnia, ac sentientes presentem vim divini auxilii, illud una cum propheta canimus: (b) Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus sus-

(a) 2 Cor. 1, 20. — (b) Ps. 55, 6.

ceptor est animæ meæ. Nec est quod quisquam dubitet, quin et nomine Filii sui, et verbo, quo sæpius usus est, moveatur Deus, (a) qui semper, ut ait Apostolus, exauditus est pro sua reverentia.

(a) Heb. 5, 7.

Concilium Tridentinum censuit eos quos cathedralibus aut aliis superioribus ecclesias praefici, vel quibus de earum dignitatibus, canonicitibus et aliis quibuscumque beneficiis curatis provideri contigerit; publicam orthodoxe fidei professionem facere, seque in Romanæ Ecclesiæ obedientia permansuros spondere et jurare debere. Pius Quartus decernit idem observandum per quoscumque quibus de monasteriis, conventibus, domibus et aliis Regularium quorumcunque Ordinum et Militarium quovis nomine et titulo, provideri occurrerit sub pœnis in dicto Concilio contentis, formanque hanc ejusdem fidei professionis jussit usurpandam, et abhinc illam usurparunt apud nos Concilia Burdigal. an. 1583; Turon. an. 1583; Narbon. an. 1551; Bitur. an. 1584; Aquens. 1585; Tolosan. an. 1590; Narbon. an. 1609. Atque eadem professione uti tenentur quicunque ab heresi remaneant ad fidem Ecclesiæ catholicæ reverluntur. Quapropter catholicó huic operi veluti totius fidei summam quasi necessariam, Bullam integrum adnectere censui.

FINIS.

**BULLA S. N. D. D. PII**

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ QUARTI SUPER FORMA JU-  
BAMENTI PROFESSIONIS FIDEI.

*Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

Inunctum nobis apostolice servitium officium requirit, ut ea quæ Dominus omnipotens, ad proximam Ecclesiam sua directionem, sanctis Patribus in nomine suo congregatis, divinitus inspirare dignatus est, ad eujus laudem et gloriam incunctor exequi properemus. Cum itaque iuxta

Concilii Tridentini dispositionem omnes, quos deinceps cathedralibus et superioribus ecclesiis praefici, vel quibus de illarum dignitatibus, canonicatibus, et aliis quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, curam animarum habentibus provideri contingat, publicam orthodoxa fidei professionem facere, seque in Romanae Ecclesiae obedientia permansuros spondere et jurare teneantur. Nos volentes, etiam per quoscumque, quibus de monasteriis, conventibus, dominibus, et aliis quibuscumque locis regularium quorumcumque ordinum, etiam militarium, quocumque nomine vel titulo providebitur, idem servari, et ad hoc, ut unius et ejusdem fidei professio uniformiter ab omnibus exhibeat, unicaque et certa illius forma cunctis innotescat, nostrae sollicitudinis partes, in hoc aliqui minime desiderari, formam ipsam, praesertim annotatam, publicari, et ubique gentium per eos ad quod ex decretis ipsius Concilii et alios predictos spectet, recipi et observari, ac sub prenis per Concilium ipsum in contravenientes lati, juxta hanc et non aliam formam, professionem predictam solemniter fieri, auctoritate apostolica tenore praesentium districte precipiendo mandamus hujusmodi sub tenore. Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, que continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia ultiatur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium: et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantiale Patri, per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de celis, et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria vir-

gine, et homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est; et resurrexit tertia die, secundum Scripturas; et ascendit in celum, sedet ad dexteram Patris; et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cuius regni non erit finis: et in Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre et Filio similiadoratur, et conglorificatur; qui locutus est per Prophetas: et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum; et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen. Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquaque ejusdem Ecclesiae observationes et constitutions firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est Judicare de vero sensu et interpretatione sacra rum Scripturarum admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere et proprii sacramenta novae legis a Iesu Christo domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Paenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in supradictorum omnium sacramentorum solemnni administratione recipio et admitto: omnia et singula, que de peccato originali, et de justificatione in sacrosanta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in missa offerri Deo verum

proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis : atque in sanctissimo Eucharistiae sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragis juvari : similiter et sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparae semper virginis, necon aliorum sanctorum, habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impriendam : Indulgientiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse : illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo : sanctam catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistrum agnoscere; Romanoque Pontifici, beati etri, Apostolorum principi, successori ac Jesu christi vicario, veram obedientiam spondeo ac juro : cetera item omnia a sacris canonibus, et ecumenicis Conciliis, ac pricipue e sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata, indubitanter recipio atque profiteor ; simulque contraria omnia atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas, rejectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo : hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in presenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integrum et inviolatam

usque ad extremum vitæ spiritum constantissime, Deo adjuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo ac juro: sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia. Volumus autem quod praesentes litteræ in cancellaria nostra apostolica, de more, legantur. Et ut omnibus facilius pateant, in ejus Quinterno describantur, ac etiam imprimantur. Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam nostræ voluntatis et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominice millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, idibus novemb., pontificatus nostri anno quinto.

*Fed. Cardinalis CESIUS.*

*C.E. GLORIERIUS.*

Lecte et publicatæ fuerunt suprascriptæ litteræ Romæ in cancellaria apostolica, anno Incarnationis dominice millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, die vero sabbati, nona mensis decembri, pontificatus sanctissimi in Christo Patris et domini Pii Papæ quarti anno quarto.

*A. LOMELLINUS, custos.*